

*Experimenta.*

1. Horologium cum campana immittatur recipienti, cui aer subtrahatur, tunc vix observamus tinnitum campanæ, cum antea per totum conclave personaret.

2. Tubi stentorii aliquot species offerantur, per quos vox emissa in planitie ad dimidium milliare, imo ultra derivatur.

3. Utilissima est quoque inventio tubi acustici qui auri applicatus surdastros juvat, ut sonum percipere facillime possint.

4. Hujus generis est quoque major tubus acusticus, qui auri applicatur, quando quis sonum e longinquo per tubum stentorium emissum distincte percipere vult.

5. Consonantiarum & dissonantiarum rationes in monochordo & dichordo explicantur.

6. Structura mirabilis organi auditus, sive auris structuræ internæ & externæ, tam in corpore humano, quam aliis animantibus, exhibetur & demonstratur.

DEMONSTRATIO XLI.

Qualitates, vires, effectus corporum dependent maxime a varia structura, dispositione ac mixtione partium, totum constituentium.

*Experimenta.*

1. Antimonium crudum non est venenum, quando autem cum una parte nitri miscetur, virulentiam exeret emeticam: si autem duæ partes nitri addantur, debita ignis administratione deponit omnem virulentiam, & abit in medicamentum tutissimum diaphoreticum.

2. Mer-